

De fontibus et ordine Anthologiae Cephalanae.

Legenti mihi, quae Fridericus Iacobsius, Vir Summus, in Prolegomenis ad Anthologiam Graecam (Animadv. ad Anth. Gr. V. I P. I p. LXI—LXXIX) de Anthologia Constantini Cephalae et codice Vaticano scripsit, operae pretium visum est, ea, quae ille de fontibus, e quibus Constantinus Anthologiam suam derivaverit, et de ordine, quo carmina sese excipiant, pro consilii sui ratione generatim indicasse satis habuit, exemplis illustrare et, si forte possim, ulterius persequi. Neque quum partem huius dissertationis eamque luculentissimam a Francisco Passovio in Quaestione de vestigiis Coronarum Meleagri et Philippi in Anthologia Constantini Cephalae (praemissa indici lectionum in univ. litt. Vratisl. per aest. MDCCCXXVII instit. et in Passov. opusc. acad. ed. Nic. Bach. Lip. 1835 repetita) praeoccupatam esse viderem, quo minus hanc ipsam retractarem reliquasque, quarum unam, observationes suas in Cyclum Agathiae, in fine quaestionis laudatae promisit Passovius, adderem, deterritus sum: persuaseram enim mihi, hanc quaestionem, ut antiquarum epigrammatum collectionum accuratorem inde et pleniorum adsequeremur cognitionem, ita ad aetatem multorum poetarum carminumque anonymorum definiendam et ad homonymos poetas seiungendos non posse non conferre.

Nobis non nisi de capp. V. VI. VII. IX. X. XI Anthologiae Palatinae agendum esse, quicumque in veram codicis rationem et compositionem inquisiverit, intelliget: his enim ipsa Anthologia Constantini Cephalae continetur. Caput quidem

XII, *μοῦσα παιδικὴ Στράτονος*, ab ipso Constantino collectioni suae additum est, sed, ut Iacobsii in Proll. p. XLIX verbis utar, num hic integrum Stratonis receperit opus, an carminum dilectum habuerit, ordinemque a Sardonio poeta institutum utrum servaverit, an turbaverit, plane incompertum habemus. Cap. XIII *ἐπιγράμματα διαφόρων μέτρων* etsi Iac. in Proll. p. LXXIII non negaverit veteris illius Anthologiae partem esse, hoc, quum lemma ceteris capp. praemissum desit, valde dubium profecto est. Ut vero fuerit pars Anthologiae illius, ne sic quidem quaestionis nostrae integritati multum detrahetur. Triginta et unum epp. tantum in hoc cap. sunt, si 18 Parmenontis, 6 et 17 anonyma et 31 Timocreontis Rhodii exceperis, poetarum, quos in Corona Meleagri fuisse aut scimus aut probabiliter suspicamur.

Quod ad ordinem attinet, Cephalas epigrammata secundum argumentum in octo vel cap. XIII addito novem capp. videtur disposuisse. Capp. XII et XIII exclusis haec sex nobis restant: V Anth. Pal. *ἐρωτικῶν*, VI *ἀναθηματικῶν*, VII *ἐπιτυμβίων*, IX *ἐπιδεικτικῶν*, X *προτροπικῶν*, XI *συμποτικῶν καὶ σκωπτικῶν*. Unum enim ad artes spectans in codice Palatino periit: vide Iac. in Proll. p. LXXXVI. In ipsis autem capp. etiam carmina similis argumenti coniungere studuit Constantinus: cuius compositionis in cap. V pro rei natura nulla fere vestigia apparent: amatoria enim nullam divisionem admittere videbantur. — In cap. VI nonnulla saltem exstant, ut 11—16, 179—187 tres fratres Pani, 17—20 meretrices Veneri, 23—30 piscatores, 47—48 Bilto Veneri, 62—68 scriba Musis et Mercurio, 69—70 Crantus Neptuno, 109—116 venatores dona ferunt, 21—22 Priapo, 31—37 Priapo et Pani (36 Cereri), 40—41 ab agricolis Cereri dona consecrantur, 121—132 arma dono dantur, 190—191 Veneri Leonidas, 192—193 piscator, 200—203 mulieres post puerperium, 204—205 faber lignarius Minervae dona dicant, 206—211 Veneri, 212—215 post victorias quaedam consecrantur, 217—220 fabula de Gallo et leone narratur, 222—224 in belluas marinas sunt

scripta, 266—268 Dianae quaedam dedicantur, 269—274 de puerperio, 275—279 de corona agitur, 314—320 ἀναστρέφονται, 321—329 ἰσόψηφα sunt. — In cap. VII 1—55 in poetas conscripta sunt, 56—68 in philosophos, 69—71 in Archilochum, 72—74 in Epicurum et Themistoclem, 83—135 in philosophos, 136—152 in viros fortes e bello Troiano, 162—180 in homines obscuros, 181—188 in puellas, 189—216 in animalia, 217—224 in puellas, 226—234 praeter 228 et 230 in viros fortes, 248—253 in eos, qui ad Thermopylas ceciderunt, 254—258 in alios in pugna occisos, 263—294 in eos, qui in mari perierunt, maxime in naufragos, 313—320 in Timonem, 356—360 in latronem, qui hominem a se interceptum sepeliverat, 406—420 maximam partem in poetas, 421—429 figuras aenigmaticas cippis insculptas explicant, 430—438 in homines fortes et constantes scripta sunt, 454—457 in vinosum et vinosas, 463—469, 481—484, 486—490 de immatura liberorum et puellarum ante nuptias morte agitur, 494—506 in eos, qui in mari defuncti sunt, 651—653 in naufragos, 681—688 in Gessium confecta sunt. — Cap. IX multa quidem eius, quem quaerimus, ordinis vestigia sunt impressa, sed plerumque duo vel tria epp. tantum similis aut eiusdem argumenti sese excipiunt. Quibus missis maiores tantum huiusmodi partes enumero: 17—22 in animalia, 30—36 in naves, 151—156 in Corinthum et Troiam eversas, 168—175 (170—172 similis certe argumenti) in Grammaticam, 180—183 in templum Fortunae, 184—214 praeter 204 et 209 in poetas et scriptores orationis prosae, 222—227 praeter 225, 299—303, 370—373 in animalia, 423—427 in urbes conscripta sunt, 316—338 de diis agitur, 457—480 personae mythicae, dii loquuntur, 588—605 in imagines, tabulas volivas, statuas, (606 εἰς τόπους) 606—640 in balnea, 648—711 in domus, templa, basilicas, suggesta, latrinas, hortos, pharos, urbes, fontes, balnea, portas, aquaeductus, statuas et similia, (713 εἰς ἔργα) 713—742, 793—798 in Myronis bovem, 743—747 in animalium imagines, 748—827 in varia artis opera

facta sunt. — Cap. X, quod ad ordinem attinet, simillimum est cap. V. Certa ordinis vestigia non insunt, nisi quod 1—9 praeter 3, 14—16 Priapus ad navigationem adhortatur opemque suam pollicetur. — Contra cap. XI, cuius altera pars *συμποτικά* 1—64 continet, alteri parti, *σκώπτικοῦς*, 65—442, ordinis a nobis quaesiti vestigia clarissima sunt impressa: quem ordinem Graeca lemmata quoque demonstrant, singulis partibus praefixa: 65—74 *εἰς γραῖαν*, quod singulis fere omnibus adscriptum est (in 70 tamen vetula tantum commemoratur, non est in vetulam scriptum), 75—81 *εἰς πύκτας* 82—86 *εἰς δρομέας*, quorum 84 in pancratiastam scriptum est, 87 *εἰς μακρόν*, 88—96 in pusillos et macilentos., 97 in hominem ingentis amplitudinis, 98 in oppidum obscurum, 99—111 excepto 108 in pusillos et macilentos, 112—126 *εἰς ἱατρόν*, 127—138 *εἰς ποιητάς*, 138—140 *εἰς γραμματικούς*, 141—152 *εἰς ῥήτορας*, 153—158 *εἰς φιλοσόφους*, 159—164 *εἰς μάντις*, 165—173 *εἰς μικρολόγους*, 174—184 *εἰς κλέπτας* (180 et 181 in iudices venales), 185—189 *εἰς κωμωδοῦς ἀλλὰ μὴν καὶ τραγωδοῦς καὶ κωμωδοῦς*, 190—191 *εἰς κωμωδοῦς*, 192—193 *εἰς φθονερούς*, 194 *εἰς θηρατὰς* inepto lemmate, 196—204 *εἰς αἰσχούς* (197 et 202 non videntur huius loci esse), 205—207 *εἰς ἀπλήστους*, 208 iis annectitur propter coenae commemorationem: in gulosum enim non conscriptum est, 209 *εἰς παροριστάς*, 210—211 *εἰς δειλοῦς*, 212—215 *εἰς ζωγράφους*, 216—225 *εἰς ἀσελεῖς*, 226—232 *εἰς πονηροῦς*, 233—234 *εἰς νομικοῦς*, 235—238 in Chios, Cilices, Cappadoces, 239—242 *εἰς βαρνόδμους*, 243 *εἰς βάλανειον ψυχρόν* (falsum lemma, ut videtur), 244 *εἰς μιλιάριον ψυχρόν*, 245—248 *εἰς πλοῖα σαθρὰ καὶ βαρεὰ*, 249 *εἰς ἀγρούς*, 250 *εἰς παχύν*, 251 *εἰς δυσκώφους*. Reliqua huius cap. carmina, 252—437, ea sunt magnam partem, ut ad titulos iamiam memoratos pertineant, et ut raro tantum eiusdem argumenti epp. consociata sint, sedecies duo, quater tria (253—255, 266—268, 269—271, 283—285), semel septem (299—305). Constantinus igitur postquam omnes, qui sibi

praesto erant, titulos absolvit, iterum atque iterum fontes suos perquisivisse videtur et spicilegium quasi fecisse, quo in negotio in nonnullos sane novos incidit titulos, ut 253—255 *εἰς ἀφρῆς ὀρχηστᾶς*, 262 in meretricem, 269—271 in templum et statuas, 273 *εἰς χωλόν*, 274 in loquacem, 276—277 in pigros, 283—285 in Demonicum rapacem, 295 in vappam, 297—298 *εἰς γυναικα μεθυστρίδα*, 299—305 *εἰς ὑβριστήν*, 313—314 in convivium, 316 *εἰς ἀθλητᾶς*, 323 *εἰς κόλακας*, 341 in herniosum, 350 *εἰς δικολόγον ἀδικοῦντα*, 403 *εἰς ποδάγραν* (on Paulss. suppl.), 411 *εἰς βυλανεῖον ἔμπυρον* (vid. Paulss.). 438—441 quatuor senarii sunt, populorum quorundam Graeciae indolem breviter indicantes, 442 in Pisistratum scriptum est. Omisi quaedam varii argumenti enumerare.

Iam antequam ad alteram, quae fontes Anthologiae Cephalanae tractabit, dissertationis meae partem transeo, duae res tangendae sunt, quae huc maxime pertinent. Quaedam enim epp. falso loco posita esse videmus. Nobis autem non id agentibus, ut Constantini operam emendemus, sed ut eius rationem in universum exponamus, quosdam huiusmodi locos digito monstrasse sufficit. Ac profecto non tanti est, errores ab eo commissos corrigere et causas errorum investigare: praesertim quum ipse epp. divisionem tentaturus prorsus alia atque Cephalas via incederem. Cuius rei specimen in dissertatione mea de Antipatris Sidonio et Thessalonicensi poetis epigrammaticis Vratisl. ap. Jos. Max. 1840 dedi: ibi quod in duobus poetis feci, ad totam Anthologiam transferre alio fortasse tempore conabor. — At ut ad consilium meum redeam, epp. nonnulla a C. Cephalas ineptis locis exhibita nunc designabo. Cap. VI, 88 eroticum est, 348 sepulchrale, 256 et 304 epidicticis annumerem, 219 mera fabulae enarratio est. Cap. VII multa insunt in viros claros, quae, ut sepulcro inscripta cogitari quidem possint, nihil nisi laudem illorum continent. Sepulchralibus vero eximendum est 217 in Archeanassam adhuc viventem compositum, 641 epidicticis addendum, in quo de horologio aquario agitur: *σῆμα* procul dubio Constantino

fraudi fuit. Cap. IX, cuius inscriptio latissime patet, multa insunt, quae aequè bene ceteris capp. inseri potuerunt: 15 et 16 *ἔρωτικά* esse iam scholiastes vidit: 411 in Musam puerilem referendum esse Iac. dicit. Cap. XI, 37 nulla alia de causa *τοῖς συμποτικοῖς* immixtum esse videri potest, quam quod v. 3 de uvis messis memoribus agitur.

Altera res, quae hic notatu digna visa est, quasdam Anthologiae Cephalanae partes attinet, quae nullo modo epp. vocari possunt, ut hymni IX, 524 et 525 (788) X, 104; lyrica Anacreontis XI, 47. 48; Comici cuiusdam senarii, ut videntur, X, 116; Philemonis senarii IX, 450; versus nonnulli ex Empedoclis *καθαρμοῖς* IX, 569; unus e Nicandri Theriacis inter IX, 503 et 504; hymnus ex Heliodori Aethiopicis IX, 485; versus e Nonni Dionysiaticis X, 120; e Nestoris Larendensis Metamorphosibus, ut videtur, IX, 129. 364. 536 (537); ex Herodoto IX, 703, itaque verba orationis solutae.

De fontibus Anthologiae Cephalanae.

Tria fontium genera reperi:

I. Anthologiae, unde longe plurima carmina derivata sunt. Anthologias vero epigrammatum collectiones dico a diversis hominibus confectorum:

- 1) Meleagri Gadareni Corona.
- 2) Philippi Thessalonicensis Corona.
- 3) Diogeniani Heracleotae Anthologium.
- 4) Stratonis Sardiani Musa puerilis.
- 5) Diogenis Laertii Pammetrus.
- 6) Agathiae Myrinaei Cyclus.
- 7) Gregorii collectio.

II. Collectiones epigrammatum unius auctoris, sive ab ipso, sive ab aliis factae:

- 1) Leonidae Alexandrini epigrammata.
- 2) Palladae Alexandrini epp.
- 3) Nicodemi Heracleotae epp.

Fortasse 4) Theocriti et Moschi epp. 5) Aristotelis peplus.
6) Epigrammata e codicibus Thucydidis et Themistii.

III. Scriptores, qui epp. citant.

Huic fontium generi nonnullos locos addo, quos Constantinus e scriptoribus non epigrammaticis descripsit.

Hi fontes Anthologiae Cephalanae demonstrari possunt, ita ut circiter CD epp. restent, quae, unde collegerit Constantinus, nescimus. Haec in sectione IV tractabo.

I. Anthologiae.

1. Meleagri Gadareni Corona.

Vide, quae de ea saeculo fere ante Christum facta Iacobsius dixit in Prolegg. p. XXXVI sqq. Quaestionem de Meleagri et Philippi Coronarum vestigiis a Passovio iam institutam, quae a me ipso in universum comprobetur, cur hic retractem, duae inprimis causae me impellunt. Singulos enim poetas, quos ille breviter tantum significavit, accuratius pertractandos sumsi: alia addere alia emendare me posse confido. Exordium igitur a succincta quaestionis Passovianae enarratione facio. Vestigia Meleagri et Philippi Coronarum indagaturo duplex datum est indicium: prooemia elegiaca ab utroque Anthologiae suae praefixa, e quibus nomina poetarum, a quibus profecerunt, si non omnium, tamen praestantissimorum cognovimus et scholiastae in codice Palatino verba, Meleagrum *συντάξαι αὐτὸν [τὸν στέφανον] κατὰ στοιχεῖον*, i. e. epp. secundum litterarum ordinem disposuisse qua in re Philippus, perpetuus Meleagri imitator, a ducis exemplo non deflexit. Ubicunque igitur per longius spatium continuae reperiuntur epp. series, quorum scriptoribus in Meleagri aut Philippi hortulis locum fuisse scimus, singulorumque poematum initia ad ordinem illum decurrant, ibi haud ambigua alterius Coronae vestigia deprehendimus. Quo consilio si Anthologia Cephalae perlustratur, maxime in fine et in initio singulorum capp., nonnunquam etiam in mediis, multa eiusmodi epp. cum

aliis permixta reperimus, quos locos partim significavit Passovius. Neque tamen longiores epp. series, in quibus nomina poetarum ab ipso Meleagro laudatorum offeruntur, desunt: V, 134—215. VI, 109—163. 262—313. VII, 406—529. 646—665. IX, 313—338. 563—569: alterius indicii binae tantum reliquiae VII, 194—203 et 264—271, quibus, si tanti est, addere licet, VI, 110—112. Quocirca non ipsa amplius Meleagri Corona, sed ex hac derivata usus esse Cephala videtur. Eo quidem, quod multi poetae, qui a Meleagro non recensentur, in locis his reperiuntur, ratiocinatio tota non turbatur: noluit enim Meleager omnes nominare, ut ipse testatur, atque sunt ii aut eiusmodi, quorum aetas aliunde satis nota Meleagrea est antiquior vel eadem, aut eiusmodi, qui probabilibus coniecturis iisdem temporibus assignantur, aut eiusmodi, qui aetate plane incerta, quos *νεόγραφα ἔργη* Meleager in proemio praetermisit, esse videntur. Perpauca sane eius Coronae inserta inveniuntur, quae ei inseri nequaquam poterant: Antipatri Thessalonicensis VII, 409. 413. 493, Crinagorae VI, 161, Philippi Thessalonicensis VI, 114, qui omnes ad Philippi Coronam pertinuerunt; Gaetulici VI, 154 et Sabini Grammatici VI, 158, nomina cum temporibus Meleagri non satis convenire videntur: Nicarchus denique VI, 285. IX, 330 etiam post Philippum vixisse censendus est. In Antipatri quidem carminibus in promptu est, de permutatione gentilium cogitare, ac profecta digna sunt, quae Antipatro Sidonio, meliori poetae quam Thessalonicensi, tribuantur. Sed faciamus, huic quoque bis terve risisse Musam, tantum abest, ut sententiae summa his exceptionibus convellatur, ut suspicio de recentiore sylloge a Cephalo usurpata confirmationem hinc accipiat. Haec Passovius de Meleagricae Coronae vestigiis, nominatis quoque iis poetis, qui in illas tres classes divisi poetis a Meleagro ipso nominatis adiungendi sunt. — Iam accedant per me quaedam epp. series, minores illae quidem fere omnes, sed non minus quam illae Passovianae e Meleagri Corona sumtae: V, 52—57. VI, (42) 43—53. 210—226. 351

—358. VII, 5—16. 19—31. 207—212. 246—254. 295—303. 535—542 (fortasse —546). 707—740. Augeo quoque duos locos a Passovio inventos. Praeter VII, 264—271. 256—263. 272 et 273 Meleagro debentur: praeter VII, 194—203. 192 et 193 quoque poetarum Meleagricorum sunt. Epigrammatis vero illis, quae aliunde inserta sunt, addo VII, 416, quod nisi ipsum Meleagram epitaphium sibi scripsisse statuas, in eius Corona fuisse non facile potest: eximo VI, 114 (vide paulo inferius, quae ad Samium dixi, poetam Meleagricum.) Plerumque in fragmentis Anthologiae Meleagricae carmina singula secundum argumentum composita sunt: quem ordinem Constantinus Cephalas fortasse in sua sylloge, quam non amplius Meleagri genuinam fuisse suspicari sumus, invenit. Epp. autem alinnde inserta fere omnia propter argumenti similitudinem assumpta esse videmus. Iam ad singulos poetas enumerandos me converto, primo ad eos, quos Meleager ipse appellat, deinde ad eos, quos Passovius adiunxit, denique ad eos, quos ipse addo. Singulorum carminum locos singulis poetis non adscribam, nisi ubi disputatio id flagitet: lectores ad *Indicem poetarum* in Tomo III Anthologiae Palatinae p. 1013—1019 delego. Cuius Indicis menda suo loco corrigam, in usum eorum, qui in posterum hoc Indice utantur. Adscribam autem semper ea epp., quae poetae alicui non Pal. cod. auctoritate, sed Anthologiae Planudeae vel alio testimonio tribuuntur, aut alias ob rationes tribuenda videntur. Quae omnia a Iac. in Indice pro consilio suo non nominata adscribens non ingrati iis operam me praestare puto, qui singulis poetis studere velint. (Ea hoc compendio addam: [A. i.....] i. e. addo incerta.....) Quod ad vitam attinet singulorum poetarum, lectores ad *Catalogum Poetarum*, qui epigrammata scripserunt, in Anthologiae Lipsiensis Tomo XIII p. 829—964 remitto: hanc quaestionem igitur intactam relinquo, nisi ubi a Iac. sententia descisco vel ubi quaedam addenda habeo.

Poetae a Meleagro nominati secundum ordinem, quem ipse secutus est.

Anyte, VII, 492 *Mitylenaea* vocatur in parte Coronae Meleagricae. VI, 153, item in parte Mel. Cor., Tegeatidis esse debet. Fortasse librarius erravit et una tantum fuit Anyte Tegeatis, fortasse duae in Cor. Mel., iam ab hoc ipso confusae. [A. i. V, 82. VII, 189. 236, quae tamen Anytae non esse videntur.] *Myro* sive *Moero Byzantia*. *Sappho*. Oblitus est Iac. in Ind. poet. VII, 505. Ad VII, 498 in Commentario critico ad Anthologiam Palatinam nomen poetriae omissum est. *Melanippidis* nihil exstat. *Simonides*. Complurium homonymorum carmina confusa sunt. Inveniuntur enim in Anthologia, quae neququam veteris Simonidis esse possint, quorum tamen pars, sicuti ceterorum in partibus Anth. Mel. legitur, ita ut hic iam diversorum epp. auctorum confudisse videatur. Quae antiqui Simonidis esse possint, quae non possint, dixit Iac. in Catalogo: inquirere in reliqua, nostrum non est. Addendum Ind. poet. VII, 187, altero loco Philippi, altero loco post VII, 344 τοῦ αὐτοῦ [Σιμωνίδου] inscriptum: cf. Paulss. [A. i. VI, 144. VII, 257. IX, 147.] *Nossis* ipsa se *Locrensem* adpellat: quare lemma codicis IX, 332: *Νοσσίδος Ἀεσβίας*, ut Iac. statuit, errori videtur deberi. *Rhianus*. [A. i. X, 121] *Erinna*. Tria, quae supersunt, epp. in partibus Cor. Mel. leguntur. VII, 710 *Mitylenaea* vocatur. Fortasse duae fuerunt, vetustior et recentior: VI, 352, priscae simplicitatis fortasse Teiae vel Teniae vel Rhodiae est: VII, 710 et 712 illum colorem non habent. *Alcaeus*. Lemmata exhibent epp. *Alcaei*, *Alcaei Mitylenaei*, *Alcaei Messenii*. Utriusque poetae epp. in partibus Cor. Mel. reperiuntur, quod de illo VI, 218. VII, 5. 429, de hoc VII, 412. 495 testantur. *Alcaei* autem *Messeuii* sunt propter lemma VII, 1. 412. 495. IX, 518. 519, propter argumentum VII, 247. IX, 588. XI, 12. Plan. 5. *Alcaei Mitylenaei* propter lemma VI, 187. 218. VII, 5. 429. Cetera, utrius sint, dici non facile potest propter

nomen gentile utrumque nomini poetae additum, VII, 55, propter nudum Alcaei nomen V, 10. VII, 536. XII, 29. 30. 64. Plan. 7. 8. 196. 226. Iacobsio, qui omnia epp. Alcaeo Messenio tribuere velit et lemma Mitylenaei sciolo deberi putat, ad stipulari nequeo neque Passovius adstipulatus esse videtur, qui inter poetas a se Coronae additos Alcaicum Messenium nuncupans, eum, quem Meleager ipse nominat, Mitylenaeum fuisse procul dubio credidit. Ceterum emenda e meo indice epp. Alcaeorum Ind. poet. [A. i. VII, 89.] *Samius* vel *Samus* VI, 116: addo VI, 114 *Φιλίππου* et *τοῦ αὐτοῦ* i. e. Simmiae in cod. inscriptum, in Plan. Simmiae (cf. Paulss. suppl.), a Brunckio bene: Samii. Is qui lemma codici appinxit, bis errasse videtur, et Philippo ep. in Philippum scriptum assignans et Simmiam cum Samio confundens, cuius ep. in eandem rem habemus, VI, 116. Quae suspicio si vera est, ordo poetarum Meleagricorum non turbatur et VI, 115 Antipatri inscriptum Sidonii habendum est. [A. i. VII, 647, quod tamen Simmiae est.] *Leonidae* nomini duo gentilia apposita sunt, *Tarentini*. elegantis poetae in Cor. Mel. et *Alexandrini*, qui *ἰσοψήφοις ἐπιγράμμασιν*, frigidissimo lusu delectatus est et primo post Christum saeculo vixit. Pleraque autem epp. in Anth. Ceph. nudum Leonidae nomen prae se ferunt, quorum magna pars nunc inter utrumque dividi potest. Leonidae Tarentini sunt a) propter nomen gentile adscriptum ea, quae Iac. in Ind. poet. nominat, quibus adde VII, 659 sine lemmate quidem, sed cohaerens cum antecedente, 664 (proximum enim lemma est *τοῦ αὐτοῦ Λεωνίδου*): exime XI, 70, quod Leonidae inscriptum Alexandrini est. b) quia in partibus Cor. Mel. leguntur, haec iam a Passovio in quaest. pag. 10 enumerata: VI, 129. 131. 262. 263. 281. 286. 288. 289. 293. 296. 298. 300. 302. 305. 309. VII, 408. 452. 455. 463. 466. 478. 480. 503. 504. 506. 662—665. IX, 318. 563. In ep. tamen VII, 309 Leonidae nomen sola Anth. Plan. addit: de VII, 664 iam dixi. c) omisit Passovius V, 188. 206. VI, 110. 120. VII, 472. d) addenda e partibus Cor. Mel. per me constitutis:

VI, 226. 355. VII, 13. 19. 264. 266. 273. (316) 726. 731. 740. e) ex Iac. sententia VI, 221, et fortasse VII, 715 in tumulum poetae. De epp. Leonidae Alexandrini et de incertis infra dicam. *Mnasalcaus Sicyonius*. In Ind. poet. pro App. 52 lege App. 53. *Pamphilus. Pancrates. Tymmes. Nicias*. XI, 398 Nicarchi procul dubio est, quod infra demonstrabitur. *Euphemus*: cuius nihil habemus. *Damagetus. Callimachus*. Ex Ind. poet. exime VII, 346, quod Anacreontis est et VII, 415, non Callimachi, sed inter Callimachea incerti auctoris relatum. [A. i. V, 14. VII, 89. 558. 729. IX, 15. 67. 235. 391.] *Euphorio. Dioscorides*. (VII, 76 *Διοσκόρου*, IX, 734 *Διοκριδο*/ in-scriptum est.) Duo huius nominis fuerunt poetae: alter Machonis, ut videtur, aequalis, qui Alexandri Magni temporibus vixit, Meleagricus: alter Nicopolita VII, 178, qui in Mel. Cor. non fuit. Nicopolis enim Epirotica ab Augusto, Armenia a Pompeio exstructa est. (Tertia in Cilicia est, auctore Strabone.) Dioscoridis Meleagrici omnia sunt in partibus eius Coronae; V, 138. 193. VI, 220. 290. VII, 31. 37. 407. 410. 411. 430. 456. 484. 485. 707. 708. Eiusdem esse Iac. vult V, 53, ergo V, 52—56. Propter Nilum resque Aegyptiacas commemoratas, quibus regionibus Dioscorides Meleagricus vixisse videtur, addo: VII, 76. XI, 363. Incerta, utrius sint, fortasse tamen non minus Dioscoridis Meleagrici VII, 162. 166. 178. 229. 351. IX, 734. XII, 14. 37. 42. 169—171. *Hegesippus. Perses*, VII, 445 *Thebanus*, 487 *Macedo* appellatus. Quo in lemmate si librarius non erraverit, duo fuerunt Persae in Mel. Cor. *Diotimus* (IX, 391 *Δότιμος* vocatur.), V, 106 *Μιλησίον* in parte Cor. Phil., VII, 420 in parte Cor. Mel. *Ἀθηναίου τοῦ Διοπεύθου* in scriptum, cetera Diotimi sine nomine gentili. Duo igitur fuerunt Diotimi: alter *Atheniensis* in Cor. Mel. Huius itaque sunt VI, 267. 358. VII, 261. 420. 475. 733. Alter Milesius V, 106 in Phil. Cor. cuius fragmenta infra indicabuntur. Incerta utrius sint: VII, 173. 227. IX, 391. Plan. 158, probabiliter autem, si epp. circumdantia et duplicia lemmata respexeris,

Atheniensi tribuenda. Iam ex hac disputatione, quae Iac. in Ind. et Cat. pt. de Diotimo dixit, emendare poteris. *Mene-crates*, IX, 54. 55 Samius, 390 Smyrnaeus. Cuius poetae, quamquam a Meleagro nominatur, reliquiae in partibus eius Cor. non leguntur. Lemma quoque duplum in IX, 55, carmina antecedentia in IX, 390 dubitationem iniiciunt, num hic habeamus eius Menecratis epp., quem Meleager receperit. Gentile Samii nomen fortasse librarii errore additum est, Ephesium novimus, qui Iac. sententia bene potuit Smyrnaeus vocari. *Nicaenetus*, *Phaennus*, *Simmias*, *Thebanus* VII, 21. 22, *Grammaticus* VI, 113, ambo in Cor. Mel. Thebani epp. addendum fortasse VII, 60. Ambigua, utrius sint, VII, 193. 203. 647. Dele igitur in Ind. poet. VII, 24. 25, quae Simonidis sunt, adde unum omissum VII, 60. [A. i. VI, 114. 158.] *Parthenidis* nullum recepit ep. C. Cephalas. *Bacchylides*. *Anacreon* VII, 226 *Teius* appellatus. In Ind. poet. oblittera VI, 146, quod Antipatri Sidonii est: 145 Eustathius se legisse dicit in Aristotelis peplo. Iam Meleager igitur hoc ep. Anacreontis nomine cognovisse videtur. *Archilochus*. *Alexander*. VI, 182 Ἀλ. Μαγνήτου non in parte Cor. Mel., VII, 709 Alexandri sine nomine gentili in parte Cor. Mel. Plan. 172. Ἀλ. Αἰτωλοῦ. Si librario fidimus, Magnes in Mel. Cor. fuisse videtur: Aetolus enim tantum in Plan. exstat. Quod Meleager ipse his verbis proemii: νέους ὄρπηκας ἐλαίης Ἀλεξάνδροιο confirmare videtur. Alexandrum Aetolum enim non satis bene νέον, sibi fere aequalem adpellare potuit. Aliter statuit Iac. [A. i. VII, 507. 534.] *Polycleti* nihil superest. *Polystratus* VII, 297 non est in parte Cor. Mel., XII, 91 tamen inter epp. poetarum Meleagricorum positum. *Antipater Sidonius* ad Meleagricam, Thessalonicensis ad Philippicam Coronam pertinuit. In diss. meae cap. I p. 11—16 epp. enumeravi, quae cod. singulis tribuit, Passovius iis vindicavit, ipse iis assignavi. Cap. IV reliqua, quae aut Antipatri nudi nomen prae se ferunt, aut variis hominibus tribuuntur, auctoribus suis reddere studui, loco ultimo ea nominans, quae etiamnunc in medio

relinquo. Inter uaec VI, 114 mihi nunc Sidonii esse videtur (cf. quae ad Samium dixi). [A. i. VII, 12. 282. 470. IX, 45. 101. 107. 549. XI, 331.] *Hermodorus*. Plan. 170. [A. i. IX, 77.] *Poseidippus* vel *Posidippus*. In Ind. poet. scribe Plan. 119 pro Plan. 118. [A. i. V, 191. 215.] *Hedylus*. [A. i. V, 159. 161.] *Asclepiades Sicelides*, ut eum Meleager appellat, vel Samius. Huic omnia epp. in Anth. Ceph. danda esse censeo, quum Asclepiades Adramytenus tantum in Musa Strattonis exstet, XII, 36. Plan. 68 debet esse Samii. [A. i. IX, 762.] *Plato*. Meleager *philosophum* significare voluisse, epitheton *θεῖος* in prooemio declarat: VII, 669 ὁ φιλόσοφος, IX, 45 ὁ μέγας perhibetur. Neque tamen omnia eius sunt. IX, 13. 748. 751 iunioris et IX, 359 comici, eiusdem, ut videtur, hominis, non in partibus Cor. Mel. scripta: quamquam ad eam pertinuisse possunt. Cetera philosopho tribuenda esse videntur eaque C. Ceph. partim e Mel. Cor. partim e Diogene Laertio sumpsit. Ex Ind. poet. in Platone aufer IX, 13, quod Platoni iuniori addas. [A. i. IX, 759. 826. 827. XI, 170.] *Aratus*, XI, 437 in fine cap., XII, 129 inter epp. poetarum Meleagricorum. Illo loco *ποιητής* appellatur. *Chaeremon*. *Phaedimus*. In Ind. poet. scribe XIII pro XII. *Antagoras Rhodius*. [A. i. VII, 103.] *Theodoridas*, VI, 222 Theoridas, VII, 529 in Plan. Theodoritus appellatus. In Ind. poet. scribe VII, 738 pro VII, 739. „IX“ ante 743 deest. Adde VI, 282 in parte Cor. Mel. *Theodori* inscriptum, qui fortasse idem est cum Theodorida, fortasse diversus, quum Diogenes Laertius Theodorum, epp. poetam, commemoret. XI, 198 etiam Theodori inscriptum Brunckius Theodoro Proconsuli dedit, cuius est VII, 556: nescio cur: propter epp. Leonidae sequentia Theodoro vel Theodoridae, poetae Meleagrico, tribuere malim. *Phanias* sive *Phaenias*, VII, 537 *Grammaticus* adpellatus. *Meleager* ipse. In Ind. poet. pro V, 95 lege V, 96, adde XII, 165. [A. i. V, 2. 24. 189. VII, 416. IX, 453.]

*Poetae, quos in tres classes, quas iam significavi, divisos
Passovius Cor. Mel. vindicavit.*

I. *Empedocles*. IX, 569. App. 21. Adde VII, 508 cod.: Simonidis, Diog. La. rectius: Empedoclis. — Mihi hic poeta in Mel. Cor. receptus esse non videtur. Tria enim eius epp. etiam Diogenes servavit, quo non minus usus est Constantinus in Anthologia sua concinnanda. Inter ea unum non est in Anth. Ceph., sed in App. epp.: secundum cod. Simonidi adscribit: tertium positum est inter 365—368 poetarum Meleagricorum et 570 Philodemi, poetae Cor. Philippicae, versibus hexametris scriptum et e *καθαρμοῖς* Empedoclis derivatum. Vide ceteros, qui v. 1 et 2 citant, in Sturz. comment. de Emped. p. 466 sqq. Nullus praeter Diogenem cum scriptura cod. Pal. plane consentit, ita ut dubitari nequeat, quin ex hoc scriptore Const. IX, 569 sumserit. *Antimachus*. *Philetas* in VI, 210 et VII, (quod in Ind. poet. deest) 431 *φιλιτᾶ σαμίον* inscriptis. *Samius* igitur receptus fuit, non *Cous*, quod Passovius affirmat. *Theocritus*. Unum Chii inscriptum est, non in Anth. Ceph., sed in App. 38, epica dialecto scriptum. Epp. autem Theocriti, quae in Anth. Ceph. sunt, doriam exhibent. Quorum quatuor in partibus Cor. Mel. sunt, VI, 262 *Θ. βουκολικοῦ*, IX, 338 *Θ. Συρακουσίου*, VII, 658. 659, ubi lemmata inter Leonidam et Theocritum fluctuant: ceterorum 432—437 bucolico data, VI, 336—340 propter dialectum non minus Syracusani poetae sunt. Restant XIII, 3 et XV, 21 Theocriti *Syracusani*. Hunc igitur solum in Mel. Cor. receptum esse patet, et quid iudicandum sit de Passovii verbis: sive is Syracusanus fuerit poeta, sive Chius rhetor. [A. i. VI, 177. VII, 664.] De Alcaeo Messenio disseruimus. *Nicander Colophonius* XI, 7, quod non est in parte Cor. Mel., recte Iac. Nicarcho adscripsit. Adde, post IX, 503 versum e Nicandri Theriacis scriptum esse, quem C. Ceph. vel ex ipso auctore, vel e Mel. Cor. depromsit. [A. i. XI, 169. 170

cum cod. Nicarcho, non Nicandro, ut Stobaeo et quibusdam edd. Plan. Anth. placet, tribuenda.]

II. *Aristo*, Leonidae Tarentini felix imitator. [A. i. IX, 77.] *Theaetetus*, cuius epp. sunt in Crantorem et Pythagoram. Quatuor epp. in Anth. Ceph. nudo Theaeteto adscripta sunt, ad unum omnia in partibus Cor. Mel.: VI, 357. VII, 444. 499. 727., quibus accedant App. 36. 37, servata a Diog. La., itaque necessario Theaeteto antiquiori adscribenda. Alius enim est Theaetetus Scholasticus, quem vide infra in quaest. de Agathiae Cyclo. *Agis*, in Plan. vulgo Aegis, Alexandri Macedonis, ut Passovio videtur, famosus adulator.

III. *Aristodicus Rhodius*. *Damostratus*, de quo recte Passovius praeunte Iacobsio haec profert: si quidem huius ep: fuerit auctor, quod ab alio quoque poeta Damostrati nomine compositum esse potest. *Dionysius*. Desperat Iac., certi quid de variis *ἐπιγραμματογράφοις*, quibus Dionysiis nomen sit, statui posse. *Rhodius* VII, 716 fuit in Cor. Mel. *Andrii* est VII, 533 sequentibus 535—546 poetarum Meleagricorum, *Cyziceni* VII, 78, inclusum in 75—81 poetarum Meleagricorum. Igitur hi quoque recepti fuisse videntur. Iam VI, 3 inter Platonis, Simonidis et Leonidae epp., VII, 462 in parte Cor. Mel., XII, 408 poetis Meleagricis circumdatum, nudo Dionysio adscripta, his tribus, verisimillime Rhodio tribuenda sunt. Restant tria Dionysii epp., de quibus in disputatione de Diogeniani Anthologia agetur. [A. i. V, 82. 83. VII, 51. IX, 523.] *Hegemo*. *Heracletus*, VII, 465. (Plan. perperam Heraclidi tribuit.) Hunc poetam a Iac. cum Heraclide Sinopensi VII, 281. 392 in Cor. Phil. confusum Passovio ab illo recte distinxit. [A. i. XI, 203.] *Hermocreo*. *Phalaeus*. Habemus epp. Phalaei, Flacci, Placci, Phalacci, Statyllii vel Statylli Flacci, Tullii Flacci. — VII, 650 Flacci vel Phalaei et VII, 542 Flacci in parte Cor. Mel. sunt; praeterea XIII, 5. 27 Phalaei inter poetas Meleagricos collocata sunt. Itaque idem homo esse videtur Phalaeus et Flaccus, in Mel. Cor. receptus. Cuius sunt: a) Phalaei nomine inscripta XIII, 5. 27. App. 93. b)

Phalacci VI, 165. c) Flacci vel Phalaeci VII, 650. d) Flacci VI, 193. VII, 542. XII, 12. Non tamen negandum est, nomen Flacci non bene convenire Mel. Cor., quippe Romanum, multo melius Philippicae: statuendum igitur videtur, homini illi nomen Phalaeco fuisse, quod librarius temere cum Flacco aliquoties commutavit, quum Flacci quoque Statyllii cognominati, epp. in Anth. sint. Eodem ducit inscriptio VI, 165, quae transitum a Phalaeco ad Flaccum monstrat. Alter Statyllius, Statyllus vel Tullius Flaccus est, qui non quidem in partibus Cor. Phil. a nobis designandis, sed tamen cum poetis Philippicis fere ubique iunctus apparet. Vide eum in disp. de Phil. Cor. *Philoxenus*. Theodorus, qui iam tractatus est una cum Theodorida.

Poetae, quos ipse Cor. Mel. addo.

ii, de quorum aetate constat:

Pisander Rhodius (Ol. 33): quem quo iure addamus, in disputatione de Addaeo, poeta Cor. Phil. demonstrabitur. *Aeschylus* VI, 255. Epp. 246—254 et 256—273 poetarum Mel sunt. X, 110 in fine cap. Aeschyli esse non videtur. Adde Ind. poet. App. 3, quod errore ad Aeschinem translatum est. Haec duo epp. ad hanc quaestionem non pertinent. *Moschus*: quem tractabo in sect. IV n. 4. *Demetrius Bithynus* IX, 730 in Myronis vaccam inter epp. Mel. et Phil. Cor. Iam si fuit noster Panaetii discipulus, ad illam adnumerandus esse videtur. [A. i. IX, 731.]

Incertae aetatis: *Addaeus Mitytenaeus*. Vide infra disp. de Addaeo Mac. in Phil. Cor. *Carphyllides* VII, 260. 256—273 pars Cor. Mel. sunt. IX, 52. *Glaucus* Nicopolita vocatur VII, 285, Atheniensis IX, 774. 775. Plan. III—IX, 341. XII, 44 nudi Glauci inscripta Iac. eiusdem auctoris esse putat. XII, 44 inter poetas Meleagricos immissum est: quamobrem IX, 341 et XII, 44 a Glauco, poeta Meleagrigo, profecta esse censeo, qui fortasse idem est atque Atheniensis. De Nicopolita

res plane incerta restat. *Nicomachus* VII, 299. 295—303 e Cor. Mel. sunt.

Iam epp. anonyma, quae in partibus Cor. Mel. leguntur, non amplius omni temporis nota carent, ante Meleagrum enim, i. e. anno centesimo a Chr. iam scripta esse debent. Haec Pass. nominat: V, 135. 142. 168. 200. 201. 205. VI, 130. 280. 283. 284. VII, 416. 431. 449. 474. 482. 483. 494. IX, 317. 325. Addenda VII, 415 non Callimachi ipsius, sed incerti auctoris, e partibus Cor. Mel. a me indagatis VII, 5. 7. 10. 12. 28. 257. 298. 714. 715. 717. 723. 734. 737, fortasse etiam VI, 44. 45. 48. 49. 51. VII, 543. 544. 546.

Continuabitur.